



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Haymo-//nis Episcopi Hal-//berstattensis De  
Chri//stianarum rerum memoria li-//bri decem**

**Haimo <Halberstadensis>**

**Coloniae, 1531**

**VD16 H 224**

Epistola Lugdunensium. Cap. II.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29805**

## HAYMO DE CHRISTIA.

cipuus & valde vtilis cōprobat. Per idem tēpus pullu-  
lāt innumere hereses, & p̄cipue apud Mesopotamiā.  
Quibus fortit̄ obstat disertissimis disputatiōibus suis  
Bardesanes quidā, potens in verbo & doctrina, & ve-  
hemens dialecticus, & libros scribit maxime aduer-  
sus Martionē. Quos propria lingua, hoc est Syra, cō-  
positos, discipuli eius in Græcum vertere sermonem.  
Sother sedit annis viij. quo tempore etiam Roma-  
næ ecclesię Sother episcopus pius & clemens circa fra-  
tres & sanctus, indigentibus quæ corporalis vsus ex-  
petebat, large impartiens, viuendi finem facit, & nos  
hic quarti voluminis finem faciamus.

## SD HAYMONIS

EPISCOPI HALBERSTAT.

liber V. Cap. .I.



Gitur Sotheri episcopo xij. ab a-  
postolis, succedit Eleuterius, xvij.  
anno imperij M. Antonini Veri.  
Quo in tempore per multas Ro-  
mani orbis prouincias, ex accla-  
matione vulgi & seditiōe aduer-  
sum nostros, dirissimæ persecuti-  
ones concitantur, ita vt martyrum multa milia per  
singula loca fiant.

### DE EPISTOLA LVGDVNEN- SIS ECCLESIAE.

Caput II.

RERVM MEMO. LIB. V.

**T**Vnc serui Christi habitantes Lugdunum, Viennam, nobilissimas Galliae vrbes, grauissimis tribulationibus affliguntur, quibus, vt breuiter & raptim per omnia persecutionum genera concludamus, totis viribus congressus est inimicus. Et primo quidem domorum eis prohibetur habitatio: tum deinde vsus balnearum, post etiam processus ad publicum. ad vltimum vero tam publicus quam priuatus locus, sic denique iniuria affecti clauduntur, verberantur, lapidantur, & excruciantur, adeo vt singulas cruciatus species nemo possit exponere. Sed sustinent aequanimiter sancti, vt stabiles Christi columnae, nec solum iam ferunt impetus, sed vltro etiam expetunt. Quidam autem infirmiores subeundis inualidi, peccatis suis forsitan exigentibus, labuntur, ferme decem. Qui lapsu suo luctum ingentem relinquunt ecclesiae, quae de lapsibus nostrorum magis quam de tormentis tristatur. Tunc aduersus nostros, diabolo instigante, noua & capitalia mendacia plebs infidelium commentatur. Et comprehensis quibusdam seruis paganis Christianorum, extorquet ab eis tormentorum metu, quod & Christiani filios suos comedant, & matribus & sororibus abutantur. Hinc apud omnes Christiani execrationi habentur, praesertim apud eos, qui clementius aduersus eos agebant. Inter quos sanctus quidam diaconus, nomine Viennensis, & Blandina, nobilis foemina, & Photinus venerabilis Lugdunensis episcopus cum iam nonagenaria esset aetate, & praeter languorem & senium magis deferretur ad tribunalia quam duceretur, solunt martyrio, sicut gesta eorum habent. Patitur & cum eis

## HAYMO DE CHRISTIA.

Attalus quidam, cuius inter tormenta nobilis vox illa fuit, cum assarentur carnes eius, & nidor adustę carnis perferiretur, Hoc est, inquit, homines comedere, quod vos facitis. Neque nos homines comedimus, neq; aliud quid mali agimus. Interrogatus quod nomen habet deus, eleganter respondit: Qui plures sunt, nominibus distinguuntur: qui vnus est, non indiget.

ITEM EX epistola Lugdunensi.

Caput III.

**T**anta autem beatorum martyrum humanitas erat & humilitas, vt frequenter martyres facti, post bestias, post ignes & laminas nullatenus paterentur se a martyrio appellari, vel in sermone, vel in epistola fratrum. & si quis hæc fecisset, durius increpabant, dicentes, qd hæc appellatio soli Christo debeat, vel certe his, qui post bonam confessionem discedere de hac vita, & pergere ad deum meruerunt. Nos autem humiles & egeni, aiebant, optamus vt ipsa saltem in nobis confessio tuta permaneat. Tanta ergo erat in eis humilitas, vt cum rebus ipsis martyres essent, nominis tamen iactantiam fugerent. Inter fratres humiles, inter persecutores elati. Accusabant neminem, soluebant cunctos, ligabant erga nullum, orabant, p persecutoribus suis, vtentes verbis sancti Stephani martyri, sdicentis: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Et per nimiam charitatem quam habebant in Christo Iesu, & his qui lapsi fuerant, totis miserationum visceribus inhærebant, omnipotenti deo effundentes pro eis flumina lachrymarum. Nec sibi gratum iter dicebant eundi ad deum, si pars membrorum suorum de eo